Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICO-PHYSICA DE Idea Errante IN MONSTRORUM GENERATIONE,

qvam
Consensu Gratiosæ Facultatis Medicæ
ad diem XXI. Novembris Anno M DC XCV.
in Auditorio Majori


PRÆSIDE

JO. JAC. STOLTERFOHT,
Philos. & Medic. Doct. & Profess. Publ.

Placide Eruditorum Disqvisitioni subjiciet

RESPONDENS

DANIEL GERHARDUS HEISIUS,
SS. Theol. & Philos. Studios.
Stadâ-Bremensis.



GRYPHISWALDIÆ,
Literis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typographi.

14

בשׁשׁ:

§. I.

Duo infinitæ molis in universo dantur Laboratoria, qvorum unum *Naturæ*, alterum *Artis* est; hæc illius est Ministra, aut, verius dicam, Æmula, qvocunq; id tentaverint successu magna seculi nostri ingenia (qvorum specimina non sine ingenio collegit *Excell.* DN. GEORG. PASCH. *amicus & commensalis qvondam noster in ædibus CALOVIANIS æstumatissimus, Moral. in Academ. Kiloniens. Professor jam dignissimus*, in Schediasm. de Curios. hujus seculi inventis, qvorum accuratiori cultui facem prætulit antiqvitas) sed ultra sidera non tendit: illa autem est, cujus

in gremio DEUS artes condidit, ut sit,
Usq; qvod acqvirat, qvodq; reqvirat homo.

ut canit OWENUS *L. III. Epigr. 89.* Officinam suam vel in abditissimis qvoq; habet terræ visceribus, nec immanes Oceani incolæ legibus ejusdem refragantur: verbo dicam, præcipuum est, qvod in globô Terr-aqveô apprehenditur, & qvo nihil prius in eodem percipere qvis potest. Alma hinc est omnium rerum Genitrix, nunqvam otiosa, ordinis & operum suorum constantissima Magistra, qvæ non fallit, nec sibi relicta fallitur in suo Magisterio. Præcipuam verò vim atqve Majestatem suam in *Homine* tanqvam contracto exseruit compendio, ut non esse eundem tumultuarium & incogitatum opus dicas, cum asserente severo illo & persvasorio virtutis strictissimæ Doctore SENECA inter maxima rerum suarum natura nihil habeat, qvo magis glorietur, aut certè cui glorietur. Hinc à tam nobilis machinæ fabrica ad institutum consummanda, nullâ vi externa potest abigi, & qvamvis nonnunqvam impediatur, non planè tamen deficit, sed anteqvam nihil agat, *Monstrum* potius format. Hoc qvomodo fiat, ab IDEA præsertim ERRANTE, eâ qvâ fieri poterit, concinnitate ac perspicuitate impræsens demonstrare, bono cum DEO accingimur.

§. II.

At, cum juxta CELSI effatum, in hocce præsertim themate, sermonis pudorem & artis præcepta simul servare, difficile non

modo, sed plane impossibile sit, styli nobis promittimus licentiam, ob veritatis amorem, firmiter credentes, naturam omnem excutere turpitudinis notam, ac de singulis nostris lectoribus dici posse, qvod COMICUS de PAMPHILO præsentiâ CHRYSIDIS nihil commoto, inqvit: *spectatum satis putabam.* Severus censor dictum sibi putet illud AUGUSTINI, qvod habet *L. XIV. de Civitat. DEI c. XXIII. Qvisqvis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba necessitatis, in qvibus facile pudicus & religiosus Lector ignoscet, &c.*

§. III.

Qvandoqvidem itaqꝫ, monente EPICTETO ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις ἀρχὴ παιδεύσεως ἐστι, communiorem & nos methodum observaturi à nominis exordiemur evolutione, notantes, qvod *Monstrum* à *moneo* diduxerit BASIL. FABER cum SERVIO *in II. Æneid. n. 680.* qvemadmodum à *claudo claustrum* descendit. Alii à *monstrando* ducunr, qvasi res monstret eventuras; qvibus adstipulatur DONATUS *in IV. Æneid. dicens; Monstrum* idcircò existit, ut futurum aliqvid monstret; unde CTESIAS GNIDIUS in Persicis asserit, ROXANEM CAMBYSIS uxorem puerum peperisse, capite carenten, cui dicebant Magi, hanc esse Prodigii significationem, nullum Regni Successorem CAMBYSI relictum iri; ac si hisce iræ suæ opus haberet internuntiis omnipotens Numen, nec voluntatem suam aliis posset denunciare signis, qvam deformitate, aut hominum cum belluis congressu, *Monstrum* præcedente. vid. RIOLAN. *in Dissert. de Monstr. nat. Lutet. c. VII. à monstrando.* potius dici crediderim, qvod ob sui novitatem ac enormitatem qvamprimum visa, cum admiratione atqꝫ stupore ab unoqvoqꝫ unicuiqꝫ alteri monstretur; idqꝫ vel lucri gratia, ut sæpius fieri docemur, vel etiam, ut qvilibet mentis oculorumqve aciem convertat in varium naturæ lusum, novumqꝫ errorem; hinc SENECA *L. VII. Qv. natural. c. I.* inqvit: *Naturale est, magis nova, qvam magna mirari.*

§. IV.

Sumitur autem variis *Monstri* vocabulum modis *I. Metaphorice* & qvidem (α) pro *rebus rarò contingentibus;* sic CICERO *L. II. Ep. VI. ad Qv. Fr.* inqvit: De CÆSARE Monstra promulga-

emulgarunt, i. e. res inauditas (β) *De errato Artificis*, qvando v. g. de Pictore dicitur, qvod Monſtrum pingat, i. e. Picturam deformem, & contra regulas Artis peccantem (γ) Pro *rei excellentiâ*, qvando excellentes viros *Sapientiæ* ac *Eruditionis monſtra* vocamus; ita PETR. CASTELLUS in Ep. qvâdam ad PAUL. ZACCHIAM qvam habet in *Qv. Medic. Legal. Conſil. XXII.* ſcribit: *Simul cum his te ejus libri Auctorem inter illuſtres viros librorum exaratores monſtrum patefeciſti, ab omnibus noſci & monſtrari ob excellentiam dignum.* (δ) Pro *aſtutiâ* & *calliditate*; hinc TERENTIUS *Andr. Act. I. Sc. V.* ait: aliqvid monſtri alunt, i. e. callida fovent conſilia (ε) Pro *Portento* ſ. *Prodigio*, qvo ſenſu MANTUANUS VATES de JULO canit:

Cum ſubitum, dictuqve oritur mirabile monſtrum.

II. In *ſenſu Juridico*, qvo is ſolummodo dicitur *partus monſtroſus* qvalem viſu vel vagitu novum, non humanæ figuræ, ſed alterius magis animalis qvam hominis partum mulier enixa eſt, uti deſcribitur *L. 135. ff. de Verb. ſignific.* de qvo qværit JCtus, an ſit alendus? an Teſtamentum rumpat? an ſit inter liberos computandus? an jure Parentibus ſuccedat? &c. &c. vid. PETR. REBUFF. *in l. 38. ff. de Verb. ſignific.* Unde nec Hermaphroditas, nec Bicipites, aut Bicorporeos, vel eqvinis pedibus natos in Jure monſtroſos eſſe partus, ſed eos demum, qvi bruti magis qvam hominis forma apparent, docet PAUL. ZACCH. *Qv. Medic-Legal. L. VII. Tit. I. Qv. I.* *III. Phyſicè*, & qvidem (א) nimis *latè* pro omni eo, qvod eſt contra naturam, v. g. qvod Evnuchus vitiet virginem; unde DORIAS apud TERENTIUM: *An obſecro mea Pythias, qvid iſtucnam monſtri fuit?* (ב) *ſtrictius* qvidem, ſed (α) *impropriè*, qvando v. g. animantia unius naturæ in ſuo genere perfectam conſtitutionem habentes, ex fœmina diverſæ admodum ſpeciei enaſcuntur, Rana v. g. vel ſerpens ex mulieris utero exiens, id qvod à ſemine corrupto ac putri menſtruo fieri putat RIOLANUS *l. c. c. 3.* (ita ut ex mala ſive ſua, ſive uteri qvalitate in materiam abeat, ex qva varii generis inſecta, ſponte naſcantur, qvod ex PARÆO *L. XIX. c. 3.* experimento certiſſimo comprobatum putat LICETUS *de Monſtror. cauſſ. Natur, & different. L. II. c. 3. p. 63.*) cujus autem rei cauſam ſanæ rationi conformem infra ſup-

 pedita-

peditabimus. (β) Pro iis, qvæ monstrosam qvidem habere possunt Originem, at simpliciter visa intuentium mentes in admirationem non rapiunt, v. g. puellus albus ex Æthiope genitus, & vice versa. (γ) Pro iis, qvæ dissimilium qvidem specierum membra obtinent, sed ex parentibus sibi consimilibus oriuntur, qvales vivere dicuntur homines in Africa, Monoculi, v. g. Acephali, unipedes, aut sine naribus; æqvali totius oris Planitie, superiore labro orbi, sine lingvis, &c. &c. qvorum mentionem facit PLINIUS *H. N. L. VI. c. 30.* & *L. VII. c. 1.* (δ) Pro iis, qvæ parvo excessu à Parentum natura degenerant, ut gibbi homines, claudi &c. (ד) *strictissimè* atqve propriè sumitur de animantibus cum insigni deformitate ac structurâ planè inusitatâ, genitoribus suis valdè dissimili & rarò contingente, qvalia ARISTOTELES recenset *IV. de Generat. Animal.* & eliciuntur ex ipsismet textûs verbis *in L. Non sunt Liberi ff. de statu hominis.*

§. V.

In tali sensu monstra Græcis dicuntur τέρατα σημεῖα; τέρας autem exponit EUSTATHIUS τὸ παντελῶς παρὰ φύσιν σύμβανα, ut sit tanqvam παρέκβασις naturæ: Θαύματα item. Τηρώματα, ἀλλόμορφα, &c. &c. Latini vocabulum exprimunt per Fœtum monstrosum, iratâ naturâ genitum, mirifica corpora, monstrosa germina, terribiles visu formas, item Ostenta, Portenta, Prodigia; qvamvis, si propria attendatur significatio multum inter se voces differant: nam AMBROS. PARÆUS *in Præfat. Oper.* inqvit: *Qvæcunqꝫ contra communem naturæ ordinem & legem fiunt, monstra vocamus; ita monstrosum dicimus infantem, qvi unico cum brachio, vel qvi biceps in lucem prodierit. Prodigia verò definimus ea, qvæ contra omnem naturæ normam eveniunt, à naturâ nempè planè aliena & abhorrentia, qvemadmodum si ex muliere angvis aut canis nascatur.* Accuratiorem autem differentiam inter *Ostenta, Portenta, Prodigia* & *Monstra* ex FRIEDER. NAUSEA *L. II. mirabil. c. 5.* & BLOND. *L. I.* edocet PETR. REBUFF. *ad d. l. de Verb. signif.* qvod nempè *Portentum* licet naturale sit, rarò tamen se ostendat, & futurum aliqvid cum temporis intervallo denuntiet, cujusmodi sunt Cometæ; *Prodigium*, qvod etsi naturaliter fiat, & sæpè eveniat, aliqvid mali tamen semper præsagiat: *Monstrum* autem sit,

qvod

qvod contra naturam fiat, ut cum qvid nascitur membris alterius generis: addit idem qvod JCtus tamen omnia vocet *Ostenta*, qvòd futurum aliqvid ostendant: ab *ostentatione* autem novæ & inconsvetæ formæ sic dicta putat GODDÆUS ad *d. l.* hâcce cum distinctione, ut qvoties *Monstrum* & *Ostentum* ad rem inanimatam, ad spectrum, ad imaginationem qvandam, ad miraculum rei inanimatæ reducuntur, à nativâ significatione recessisse dicendum sit: & viceversa, si *Prodigium* & *Portentum* ad *Ostentum* animatum, veluti ad Androginum vel Cynocephalum, aut Minotaurum referatur, à nativa significandi ad tropicam declinasse putetur. Indifferenter verò vocabulis hisce usos fuisse veteres testatur ALCIATUS *ad d. l.* ita enim VIRGILIUS *L. IX. Æneid.* inqvit *Trojanos hæc Monstra petunt, &c.* & PLAUT. *in Asinar. Act. II. sc. II.* dicitur:

Pro monstro extemplo est, qvando qvi sudat, tremit.

Ubi pro signo indicante sumitur. QVINTIL. *L. I. c. 1.* corpus *prodigiosum* pro *Monstro* & *c. 10. sub fin.* *Prodigium* divinitus factum pro *Portento* ponitur. Hebræi per מופת terminum exprimunt, nam מופת הדור virum dicunt, qvi est, qvasi *Monstrum* sive *miraculum seculi sui*: כמופת הייתי לרבים *sicut prodigium fui multis*, sive Ich bin für vielen wie ein Wunder. Regius Propheta inqvit *Ps. LXXI. 7.* *Germanicè* vocantur Miß-Geburten / seltzame Geburten / Unmenschen / Abentheuer / &c.

§. *VI.*

Variè describitur ab Authoribus: ARISTOTELES omnem conceptum, qvi præter naturam fit, monstrosum vocat *II. Phys. 5.* & *L. IV. de Generat. Animal. c. 4.* *Monstrum* vult esse conceptum vitiosum, & præter naturæ intentionem procreatum; unde *II. Phys. c. 8.* *ἁμάρτημα τῆς φύσεως* peccatum naturæ idem vocat: cui adstipulatur WEINRICH. *L. de Ort. Monstror.* dum *Monstrum* dicit esse naturæ erratum ab eô fine qvem sibi in agendo proposuit. LICETUS *l. c. c. 11. p. 41.* illud describit, qvod sit subcœleste vivens, membrorum enormi constitutione, videntibus horrorem cum admiratione incutiens, rarò admodum nascens, ex secundario naturæ instituto genitum, propter aliqvod impedimentum in principiis, suæ conformationis: HIERONYM. CAPIVAC. *L. IV. c. 6.* *Monstrum* vult esse animal in utero genitum à depravatâ formati-

formatione: cui autem descriptioni sese opponit PAUL. ZACHIAS *Qvæst. Medic. Legal. L. VII. Tit. qv. 1. n. 24.* cum admodum raro à depravatâ formatione *Monstrum* fieri putet, utpote qvæ format pro materiâ substratâ: at, qvo jure hoc assertum tam mordicus teneat hic vir alias de re Medicâ optimè meritus, ex infra dicendis patebit fusius. Putat verò *l. c. n. 26.* melius describi posse per animal ita genitum, ut à Naturæ bonitate, & simplicitate suæ speciei conveniente enormiter recedat. Nostrum qvamvis non sit omnes hasce definitiones juxta Logicorum examimare rigorem, non possumus tamen non approbare illam SPERLINGII, *Monstrum* definientis, qvod sit effectus naturalis cum insigni deformitate à causâ deficiente & aberrante productus. *instit. Physic. c. IX. p. 207.* Hanc autem causam cum non apposuerit, magis explicitè, eamqve veram atqve formalem addimus, dicendo, qvod *Monstrum sit effectus naturalis cum insigni deformitate ab* IDEA ERRANTE *productus,*

§. VII.

Loco *Generis* stare potest *effectus naturalis*, qvamvis depravatus & à perfectione naturali discedens: nullis enim limitibus naturæ cingitur Laboratorium, ex qvo singula vitam trahere coguntur, & ad qvod cuncta qvoqve revocat; rebus minimis qvoq; & abjectissimis leges scripsit perpetuæ observantiæ: irrationalis qvidem est, agit tamen semper cum ratione, nisi impediatur, qvia dirigitur à sapientissimo moderatore, nempè DEO, cujus est ministra; unicuiqve causæ ille propriam vim ab initio ingenuit, à qvâ ordinate, & magna cum ratione fiunt hic omnia, ut optimè docet RIOLAN *in Diss. de de Monstr. nat. Lutetiæ c. 2.* nihil proinde temerè ac frustra agit, certum semper intendit finem, eumqvè summæ perfectionis, ita ut nihil desit aut superabundet eorum, qvæ sunt ad opus producendum necessaria; hoc fine si cadat, externa aliqva vi impedita, non desistit ab opere, sed pro virtutis impellentis, aut potius impedientis efficacia, lubenter qvasi peccat: hinc *Monstrum* GADDÆUS *ad. d. l. de verb. signific. Ostentum* esse dictum asserit, qvia natura in eo se ostendit efficacem, at Peccantem in excessu vel defectu. Qvamvis itaqve hominum intuitu, qvi causas ignorant, vel invenire neqveunt, qvædam docendi gratia ad

fortunam

fortunam referantur, ac fortuitò accidere dicantur, juxta illū *Eloqventiæ Romanæ Principem L. II. de Divin.* Philosopho tamen indignum est putare, qvicqvam sine naturali causa, qvam ignorat, esse, vel in rerum natura existere. Hinc non videmus qvo jure MERCATUS *L. III. de steril. & prægn. aff. c. 7.* Monstra dixerit esse, qvæ contra naturam fiunt; cum qvidem sint contra ejus institutum, ab ipsa tamen suum habeant esse: nam *habetur naturæ actio, licet vitiata; format virtus, licet pravè formet, adest materia, licet vitiosa*, inqvit B. SPERLING. *l. c. p. 212. in fin.*

§. VIII.

Differentiam in Definitione allata, petimus à Deformitate, & qvidem insigni, qvo excludantur minus notabiles defectus, v. g. ii qvi Parentibus non sunt similes, & *Monstra* qvodammodo vocantur ab ARISTOT. *L. IV. de Generat. Animal. c. 3.* v. g. Gibbus, nasus aduncus, pes brevis, &c. cum non qvilibet error & recessus à naturæ bonitate *Monstri* nomen propriè mereatur, sed qvi fit cum insigni deformitate v. g. homines polycephali, vel partibus alienæ speciei præditi, cujus sortis erat SIFRIDUS VITULUS, capite, cornubus ac pedibus perfectè vitulinis, sed ratione humanâ præditus: conventualis enim erat in monasterio B. V. Mariæ Eberacensi ubi A. M. CCC. XV. totum codicem sacrum latino idiomate propriis suis monstrosis descripsit manibus, cujus avthenticum exemplar ante aliqvot menses in famigeratissima Bibliotheca Wolffenbüttelensi, nobis videndum exhibebatur. Plura qvi nosse desiderat, petat SCHOTTI *L. V. Physic. curios.* & alios qvos ibidem citat Authores.

§. IX.

Hujus farinæ *Monstra* cum ferè infinita dentur in rerum natura, *differentias* eorundem *specificas* certis includere cancellis non possumus. RODERIC. à CASTRO *L. III. de Morb. Mulier. c. 6.* ad qvinqve ea refert Classes, qvarum *Ima* secundum naturam est, comprehendens omnes illas Nationes, qvæ defectu aliqvo insigniuntur, ut Gentes caudatæ, capite canino præditæ &c. qvas autem à Monstrorum serie eximimus §. 4. *IIda* in qvantitate peccat, secundum totum, & qvidem vel in excessu, ut gigantes, vel in defectu,

ut pumi-

ut pumiliones. *IIItia* eſt illorum, qvæ vel membro aliqvo ſunt mutilata, aut eodem abundant. *IVta* ea complectitur, qvæ partim humano ſunt corpore, una tamen vel pluribus particulis bruti ſpeciem habent. *Vta* eorum eſt corporum, qvæ bruti alicujus ex toto, vel mixtim plurium ſpeciem ac figuram repræſentant. Conf BAUHIN. *de Hermaphr. L. I. c. 15.* PAUL. ZACCH. *l. c. fol. 571. ſeqq.* LUDOVIC. MERCAT. l. c. Tria in Monſtro obſervat LICETUS *l. c. L. I. c. 13.* penes qvæ in varias partiri poteſt ſpecies, Materiam proximam, locum originis, & formã eſſentialem. *Ima* diviſio eſt in tria ſuprema Genera, qvæ ſunt, Monſtrum vegetativum, ſenſitivum & intellectivum, cum totidem ſint ſubcœleſtium viventiam ſupremæ ſpecies, plantæ, animal brutum, & homo. *IIda* eſt in utero & extra eundem natorum. *IIItia* ipſi præcipua eſt & ſcientifica, cum ſit actus, qvi ſeparat & diſtinguit juxta ARISTOT. *VII. Metaphyſ. T. 49.* potiſſimumqve actus eſſentialis ſpecificas differentias conſtituat: cum autem eſſentialis *Monſtrorum* forma ſit vitiata, & exinde mira membrorum corporis oriatur compoſitio, penes eandem dividit porrò *Monſtrum* in *Uniforme* & *multiforme.* At, cum intentio noſtra non ſit, *Monſtrorum* adornare hiſtoriam; in analogis nobis ſufficere poterit, notitiam habere de præcipuo, in qvo cætera omnia virtute dignoſcuntur, *Monſtri* naturam in genere humano, ut rerum omnium menſura, in cujusqꝫ origine Theoria reliqvorum viventium aptè continetur, potiſſimum delibabimus, unde pro hâcce noſtra intentione cum RIOLANO dicimus, qvod *Monſtrum* aliud ſit *ſecundum ſpeciem*, aliud *in individuo.*

§. X.

Prioris unica tantum datur cauſa naturalis, dum diverſæ ſpeciei animalia coëunt, ut ex commiſtione diverſorum ſeminum *monſtrum* naſcatur biforme, homo v. g. capite vitulino, & viceverſa, aut capite homo, reliqvo corpore canis &c. qvamvis non deſint, qvi ejusmodi diverſorum ſeminum commixtionem ad conceptionis, nedum generationis opus abſolvendum, plane ineptam cenſent, dicendo, qvod unum eorundem ob maximam diſconvenientiam alterum neceſſariò deſtruat, aut in utriusqꝫ generantis ſemine prolifico inſita *idea* ſpecialiter non ſaltim, ſed & individualiter differat,

rat, ac proinde non possit ita uniri, ut mediante conceptione exinde emergat tertium: verum cum ex diversis brutorum speciebus, perfectum fieri conceptum qvotidiana doceat experientia, qvidni brutum ab homine, & viceversa, conciperet? in utroq; enim datur naturalis coeundi stimulus, virtusqve uteri attractiva est eadem, unde eodem modo seminum fieri commixtionem ac *Idearum* evolutionem, concludere possumus: ac si vera sunt omnia, qvæ referunt annales, ita *Ideam* seminalem hominis sæpè prævalere crederemus, qvod formosissimæ qvoqve puellæ ex Eqvabus & Asinabus fuerint exclusæ, cujus detestandæ sceleratorum hominum & brutorum commixtionis exemplum refert FORTUN. LICET. *l. c. L. II. c. 68.* Conf. BARTHOLIN. *Centur. V. Histor. 87.* Memoratu dignum est, qvod bini Upsalienses Episcopi JOHANNES & OLAUS MAGNUS *in Histor. Septentr.* cum SAXONE GRAMMATICO *L. X. Histor. Danic.* referunt, puellam in Svecia ab urso esse raptam, & constupratam, ita ut mox ferino concubitu gestasse utero, & masculum infantem pilosum, membris tamen humanis, partum ediderit, eundemq; à Patre URSUM nominaverit. Ab hoc genitum esse dicunt DRUGILLUM SPARCHELOTT, Ducem sine pari, qvi postea ULFONIS Regis Daniæ Pater factus est. JOH. BARRUS dicit, constanti traditione in Regno Pegu asseri, eam nationem ducere originem à cane cum puellâ naufragâ. Sit fides penes Authorem; interim eousqve processit dira hominum ad hunc usqve diem malitia, ut exsecrandam libidinis flammam in abominando sæpius extingvant puteo; ut proinde fœminam, qvæ Monstrum brutis simile generat, nunqvam esse ab omni suspicione liberam, sed nefandi criminis ream fieri suspectam, dicat PAUL. ZACCHIAS *Qv. M. L. consil. XXII.*

§. XI.

Monstri secundum individuum causa partim *Metaphysica* est, sive præternaturalis, partim *Physica* sive naturalis. Illa potest esse I. DEUS T. O. M. qvi *sicut lac nos fudit, & sicut caseum coagulare fecit*, *Job. X. 9.* supernaturaliter ac eminenter concurrens cum omnibus agentibus infra se positis, ad qvorumlibet effectus producendos, juxta ARISTOT. *L. I. Cœl. c. 9.* cumq; sit naturæ Dominus,

illa eidem qvoqve obtemperat, ut divini Spiritus vi rapta à solita lege deflectat; cujus consilii abditissimas habet rationes, easqve partim ob delicta hominum, qvorum exempla refert SCHOTT. *in Phys. curios. L. V. c. 29.* partim ut glorificetur nomen ejus sanctissimum, qvod ipse Salvator *Johan. IX. 3.* exemplo cœci testatur.

II. *Malus Genius*, non qvidem sub specie incubi, aut succubi monstra verè generans, cum sit spiritus, & per conseqvens semine prolifico destitutus; qvamvis autē juxta mentem MARTIN. DEL-RIO *Disqvisit. Magic. L. II. Qv. 15.* SCHOTT. *l. c. L. I. c. 22. conclus. 1.* SPRENGER. *Mall. Malef. P. 2. Qv. I. c. 4. &c.* possit semen aliunde acceptum deferre, & qvâ est agilitate, & rerum naturalium peritiâ, calorem seminalem continere, particulam tamen prolificam, eundem adeò conservare posse, multis argumentis negat JOH. BAPT. DE LAMZWEERDE *in Hist. Natural. Molar. Uteri, c. 22.* Qvadrant huc verba CYRILLI *anthropomorph. L. I. c. 17.* qvæ citat VOETIUS *T. I. Disput. p. 938.* "Stultum est existimare Dæmones "incorporeos corporis munia exseqvi posse, qvodqve à natura "sua alienum est, efficere. Neqve enim qvicqvam eorum, qvæ "in rerum natura existunt, aliqvid præter suam naturam præstare "potest, sed unum qvodqve ut factum est, ita manet suum cuiqve "munus, præscribente DEO: Ipse enim est Author ac Dominus "omnium Ortus, cujus nutu atqve arbitrio, unum qvodqve eorum, "qvæ sunt, est id, qvod est. Interim tamen ex permissione DEI ad Monstrorum generationem concurrere potest, Phantasiæ Matris horriferas species objiciendo, ad cujus *ideam* facultas, ut vocant, formatrix in subjectum agit, eidemqve formam ab ideâ seminali toto cœlo differentem, horridam, atqve monstrosam imprimit: & qvemadmodum res varias atqve ridiculas artificiose callet muliercularum immittere Utero, ut refert JOH. CHRISTIAN FROMMANN. *Tr. de Fascinat. L. III. P. IV. sect. 1. c. 10.* sic & posse eundem fœtum diabolicum fingere, ex eâ qvis colligere posset historiâ, qvam refert ex STROZII CICOGNÆ *Theatr. Univers. natur. P. I. L. III. c. 2.* KORNMANN. *de Miracul. Mortuor. P. IV. c. 18.* & qvam ex BOETH. *L. IX. Histor. Scot.* recitat HIERONYM. CARDANUS *L. XVI. de Rer. Variet. c. 94.* Conf. SIMON MAJOL. *Dier. Canicular. Coll. II. p. 71. seqq.* SCHOTT. *l. c. c. 21. 22.*

VOET.

VOET. *Disp. Select. P. I. de Natur. & Operat. Dæmon. p. 36. 37.* Cujus autem rei difficultate perplexus BERNHARDUS *Serm. V. super Cant.* postqvam antea examinare tentaverat, qvomodo Spiritus corpora assumere possint, inqvit: *nolo hoc ut à me reqviratis, videntur Patres de hujusmodi re diversa sensisse, & nescire me fateor.* Connexionem horum verborum habet LAMZWEERDE *l. c. p. 202.* Ne dicam qvod vel ipsis concedentibus Theologis nostris infantem aliunde possit suffurari, & partu sive vero vel falso laboranti supponere, aut etiam seipsum sub specie infantis suscipiendum exhibere: de qvâ materiâ præter alios vid. JOH. VALENT. MERBIZ. *Diss. de Infant. suppositit. vulgò* Wechsel-Bälgen.

§. XII.

Sub *causæ naturalis* classe opinionum diversitate nostri militant Doctores, dum alii eandem cœlum esse dicunt, motu suo perenni & luminis opera physicè res subcœlestes gubernante, juxta ARIST. *I. Meteor. c. 2.* qvemadmodum enim aër variè afficitur à radiis cœlestibus, ita ut modo tenuis, modo serenus, pellucidus, modo humidus, crassus, opacus, vel nebulosus sit, ita materiam seminalem varias subire vicissitudines, non solum vi uteri varie affecti, sed etiam ex mutatione ab Astris inducta, ajunt: in qvantum autem id valeat, docet JOH. MARCUS MARCI à KRONLAND in *Philosoph. Veter. restit.* P. II. S. 45. alii Uteri tortuositatem inter Monstrorum numerant caussas, qvam tamen conceptum potius impedire, qvam *Monstrum* formare ostendunt PAUL. ZACCH. *l. c. fol. 575.* & WEINRICH *de Ort. Monstr. c. 12.* alii vitiosam seminis qvalitatem in crassitie & fluiditate non bene proportionatis consistentem accusant, dum putant virtutem genitalem ac formatricem in crassiore spermate ita obrui, ut formationi fœtus minus conducat; in fluidiori v. ossa, nervos, venas, arterias, aliasqve solidiores partes non posse formari: diceremus autem potius qvod vitiosa ejusmodi seminis qvalitas sterilitatem magis inferre qveat, aut conceptionem impedire, qvam ut partes monstrosæ fœtus exinde formentur.

§. XIII.

Si *Monstrorum* spectamus varietatem, causarumqve qvas iisdem philosophantium multitudo assignat, numerum, vela potius con-

trahimus, qvam temporis ac spatii supergrediamur limites, recensendo singulas; qvas tamen *ad materiam & formam* brevitatis studentes referunt nonnulli; ita ex materiæ defectu, non qvidem cujuscunqꝫ, sed illius determinate, qvæ illarum partium constitutioni propriè à natura est dicata, mutilari fœtum; ex abundantia autem partes embryonis in natura excedere: aliqvando autem naturam instituere in utero geminorum procreationem, eamqꝫ aggressam, ubi formatis qvibusdam partibus materiam postea sufficientem non habeat, pro duplici corpore formando, seu sit in Utero consumpta, sive ad ipsum aliqva ex causa non pervenerit, qvod vellet, efficere non valentem, efficere qvod potest, residuum materiæ in unius corporis formam gemellorum partibus non plane formatis adjungere, ac *Monstrum* excedens constituere, ob defectum materiæ generationi primario intentæ à natura, & jam inchoatæ, vult maximi ingenii vir LICETUS *l. c. c. 13.* Verum cum materia sibi relicta jaceat iners, ut res ad omnia sit parata, cessatura, si non moveatur, pro principio qvidem, sed purè passivo eandem accipimus; cum hoc non pariat exqvisitam thematis propositi scientiam, ejusqꝫ conditio tanto sit inferior, qvanto *forma* in agendo potentior, indolem hujus pro decidenda lite brevibus considerandam assumimus.

§. XIV.

Præsupponimus itaqꝫ non omne illud qvod subspecie seminis sensorium visus occupat, verum esse semen, sed habere sese tantummodo instar vehiculi aut involucri partis nimium fluidæ, neç terminis suis circumscriptæ: minimè enim attendendum esse ad externam aliqvam corporis seminalis figuram, sed illud revera semen esse, qvo per modum generationis corpus aliqvod producitur, non qvidem ut ex materia, sed ut ex motus efficiente principio, præcipit COSMOPOLITA *Hist. Natural. p. 18.* Hinc optimè SEVERINUS semen vocat vitale principium in se continens spiritus mechanicos & tincturas Universæ Anatomiæ propriæ speciei, qvibus suum sibi fabricant corpus, colores, sapores, qvalitates, magnitudines, figuras, & reliqva officiis consentanea. Sive itaqꝫ excrementum tertiæ concoctonis, cum ARISTOTELE, sive medullæ spinalis defluxum cum PLATONE, sive cerebri portiunculam

lam cum ALCMÆONE, ſive crudiorem liqvorem chyloſum, cum GLYSSONIO, CHARLETONE, WARTHONE & aliis, ſive humoris lymphatici materiam cum BILSIO, ſive ſubtiliſſimum ſeri florem, cum *Excell. Dn. D.* WEDELIO, aut ſubtiliorem ſangvinis arterioſi materiam ad teſtes delatam, cum plerisqꝫ ſeculi noſtri Anatomicis; ſive partem tantummodo ejus crudiorem atqve chyloſam, parte aqvoſa dilutam, & cum ſangvine per Arterias ſpermaticas ad teſtes delatam cum B. D. ETMULLERO, idem dixeris, illa tamen ſubſtantia qvæ corpus ejus conſtituit, qvocunqꝫ ſuperbiat titulo, aut baptizetur nomine, mentis acie potius eſt contemplanda, unde omne generans generet ſibi ſimile, juxta HORATII: *L. IV. Od.* 4.

Fortes creantur fortibus & bonis
Eſt in juvencis, eſt in eqvis Patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aqvilæ columbam.

§. XV.

Vera hinc prædicat FRANC. OSWALD. GREMBS. *L. I. Arbor. integr. & ruinoſ. homin. c. 7. §. 1. n. 30. p. 33.* qvod omne ſemen ſine imagine fit infœcundum, & imago illa in ſe gerere debeat ſimilitudinem Iconis concipiendæ, qvam *Ideæ* vocabulo poſt PLATONEM noſtri hodie exprimunt Doctores: hæc qvid ſit "interroganti reſpondemus cum SENECA *Ep. 58.* Propria Pla-"tonis ſuppellex eſt: *Ideas* vocat ex qvibus omnia, qvæcunqve "videmus fiunt, & ad qvas cuncta formantur. Hæ immortales, "immutabiles, inviolabiles ſunt. Qvid ſit *Idea*, i. e. qvid PLA-"TONI eſſe videatur, audi. *Idea* eſt eorum, qvæ naturâ fiunt, exem-"plar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, qvo tibi "res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere, exemplar picturæ "te habeo, ex qvo capit aliqvem habitum mens, qvem operi ſuo "imponat. Ita illa qvæ me docet & inſtruit facies, à qvâ petitur "imitatio, *Idea* eſt. Talia ergò exemplaria infinita habet natura "rerum, hominum, piſcium, arborum, ad qvæ, qvodcunqve fieri "ab illa debet, exprimitur. Natura itaqve ipſi *Ideans* eſt, qvæ habet *Ideas* ſibi coætaneas, juxta qvas cuncta ſubcœleſtia naturalia format, ſingulisqꝫ *Ideam* adæqvatam imprimit, qvam impreſſam de-

"inceps

"inceps εἶδον vocat: ita enim ille qvid sit εἶδος inqvit: *l. c.* atten-
"das oportet, & PLATONI imputes, non mihi, hanc rerum diffi-
"cultatem. Nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulò
"ante Pictoris imagine utebar, ille cum reddere VIRGILIUM
"coloribus vellet, ipsum intuebatur: *Idea* erat VIRGILII facies,
"futuri operis exemplar: ex hâc qvod Artifex trahit, & operi suo
"imposuit, εἶδος est. Qvid intersit qværis? alterum exemplar
"est, alterum forma ab exemplari sumpta, & operi imposita.
"Alterum Artifex imitatur, alterum facit. Habet aliqvam faciem
"exemplar ipsum, qvod intuens opifex statuam figuravit: hæc
"*Idea* est, etiamnum aliam desideras distinctionem? *Idos* in opere
"est; *Idea* extra opus: nec tantum extra opus est, sed ante opus.

§. XVI.

Hancce *Ideam* Universalem *Platonicam* interpretamur Christiani per vim illam sese multiplicandi seminalem virtute verbi benedictionis omnibus rebus creatis insitam, statim enim post illud: פרו ורבו ומלאו את־הארץ *Genes. 1. 28. &* תדשא הארץ דשא עשב מזריע זרע עץ פרי עשה פרי למינו אשר זרעו בו על־הארץ: *v. 11.* factum est, ut cuncta in circulum qvasi redirent, mediante illa seminali *Ideâ*, posteris in infinitum qvasi communicanda, qvæ idcirco singulis non inest eadem, sed qvælibet species in producendo sui generis individuo, specificum à cæterarum specierum omnium semine, distinctum semen possidet, ut eruditè ex MARCO MARCI *de Ideis Idear, operatricib.* docet DAVID van der Becke *in experim. & medit. circa natural. rer. princip. L. II.* qvod adeò exactè in se continet *Ideam* & imaginem rei producendæ, ita ut tota ista sive hominis sit, sive Elephantis aut cujascunqve animalis delineatio, æqve sine confusione possit contineri in exigua seminis Bulla, testiumqve meatus ingredi, iisqve egredi, ac imagines maximorum objectorum in pupillam oculi ingrediuntur perfectè, cum omnibus suis partibus, qvæ in fundo sensim sine sensu in sensibilem latitudinem extenduntur, docente JOH. BAPT. DE LAMZWEERDE *Natural. Molar. uter. Histor. c. 5. p. 54.* Hinc fieri videmus, qvod omne generans generet sibi simile, ac semini hominis v. g. nulla inesse possit pro-

ducendi

ducendi canem, aut aliud animal, potentia, sed solum hominem, cujus *Idea* involucro visibili externo involvitur.

§. XVII.

Origo *Virtutis* hujus *Idealis*, non parva Eruditorum hactenus vexavit ingenia, dum nonnulli à cœlo eandem infundi dicunt, qvò exinde harmoniam Microcosmi cum Macrocosmo probent: HELMONTIUS ex splene oriri ac deinceps ad stomachum Duumviratus socium, hincqve adeò facile ac primordialiter (in altero sexu) ad uterum vult distendi *Tr. de Concept. fol. 370.* Alii verò sangvinem menstruum sigillationem hancce in jecore accipere, tanqvam ab opifice materiam particularium membrorum & commodum respiciente, ideoq; talem sangvinem generante, qvo possit homo nutriri, non aliud animal. Vid. RODERIC. A CASTRO *L. III. de Morb. Mulier. c. 9.* Dixerim potius cum DAVIDE van der Becke / MARCO MARCI & aliis spectatæ satis famæ viris, qvod decerpatur qvasi ab omnibus & singulis corporis partibus, cum nulla earum reperiri possit, cujus non integra *Idea* & signatura in semine contineatur; id qvod videmus in iis, qvi Parentum nævos non animi saltim, sed & corporis, hæreditario qvasi possident jure. Conf. *Excell.* DN. D. WEDELII *Dissert. de Nævis Maternis.*

§. XVIII.

Vis formatrix hujus *Ideæ* unde dependeat, qværere jam ulterius, litemq; examinatis plurimorum sententiis, decidere possemus, nisi thematis propositi ratio in *Ideæ* errorem potius, qvam ejus causam inqvirere nos juberet; tribus hinc saltim, qvod dicitur, verbis notamus tritam Peripatheticorum opinionem, qvâ Solem & hominem generare hominem asserunt, hâc adducti ratione, qvod in Generationis Mysterio præter maris & fœminæ calorem, reqviratur externa qvædam, eaqve principalior ac efficacior causa, qvam sub nomine virtutis plasticæ, aut facultatis formatricis philosophantium describit vulgus: verùm hanc descriptionem pro terminis nihil lucis ad rerum naturalium explicationem afferentibus, æstimat JOH. BAPT. DE LAMZWEERDE *l. c. c. 25.* dicens, qvod per Solis in generatione humanâ influxum nihil aliud intelligi possit, qvam ipsissimus *primi elementi Cartesiani*, sivè subtilissimæ materiæ transfluxus, à qvo omnis omniumcorporum sublunarium activitas & effi-

cacia

cacia dependeat, qvi autem transfluxus non ex qvalibet materia qvælibet promiscuè, sed ex determinata certa producat corpora, cum sit alligatus legibus, qvas in singulis corporum naturis, qvoad insensibilium particularum figuram, motum & ordinem earumqve pororum interstitia insculptos invenit, ut proinde non possit aliam corporis speciem ex materia elaboranda producere, qvam in minimis particularum texturis descripta est.

§. XIX.

Sed remotius hoc formatricis virtutis foret principium, cum propius concurrat *Archeus*, fœcundus motor, Solisqve filius (si titulum huncce jure suo ab HELMONTIO meretur) cujus existentiam & indolem à deliramentis Helmontianis vindicatam, *in Dissert. de Morb. Idealib.* felicissimo illo ingenii fœcundissimi partu, eleganti stylo declarat *Excell.* DN. D. JOH. GERDESIUS, olim *Præceptor* atqve *Hospes*, jam verò *Collega* ac *Fautor* noster *omni honoris ac officii genere colendus*: qvi cum in Oceano sangvinis tanqvam appropriato hospitet vehiculo, cumqve eo ad abditissimos corporis feratur recessus, non potest non perfectam minimorum formare *Ideam*, eamqve ad Meditullium deportare cerebri (si certa ei assignanda sedes) unde per Spiritus, ut vocant Genitales, tanqvam fidelissimos satellites ablegat eandem ad testiculos, usqve dum magna comitante caterva fertili inferatur arvo, ubi ulteriorem exspectat evolutionem, qvæ vel minutissimas sæpius, ut diximus, corporis, cujus *Idea* est, detegit maculas: cumqve hoc ita sese habeat, cujuscunqve partis specialem in sese continebit *Idèam*, ita ut alia sit qvæ brachium, alia qvæ ventrem, alia qvæ pedem aut cerebrum, &c. constituit; qvæ membra suo qvoqve ordinat loco fabricator *Archeus*, nunqvam à proposito, sibi relictus, declinans, ut qvalis *Idea*, talis etiam sit *Idos*, nisi alia, vel in ipso generationis, aut copulæ carnalis puncto, menti sese repræsentet aut sensibus, imago, cujus *Ideam* Spiritus, qvi nunqvam magis negotiosi sunt, qvam in Generationis functione, pro potestate illa, qvâ pollent, in totius corporis humores, *Ideæ* jam evolvendæ imprimunt, ut à perfectione pristina recedendo, characteres *Ideæ* conceptæ sibi imprimi patiatur.

§. XX.

Nunqvam autem adeò à pristinâ aberrat formâ, qvin eam, qvamvis

qvamvis pro ratione *Ideæ* phantaſticæ nonnihil mutatam, ſervet, qvicqvid dicant *illi*, qvi ſemen putant mala ſua ſive Uteri qvalitate in materiam poſſe abire, ex qvâ varii generis inſecta ſponte naſcantur; licet enim haud raro accidat, qvod Mulier vermiculos, ranas, aut mures utero excludat, non tamen hoc ſemini adeo temere tribuerem muliebri, qvam *Ideæ* rei præternaturaliter excluſæ ſeminali, qvam vario modo cum eſculentis deglutire poſſunt paupereulæ, ut neſcio qvid ridiculi pariant. Qvis enim novi entis productionem actui tribueret putrefactionis, cum ejus beneficio per accidens potius ſopitæ rerum *Ideæ* in Generationis actum prorumpant? nam haud ſecus ac animalia, ut vocant, perfecta, ſpeciali ſua gaudent *Ideâ* ſeminali, ita vel ſubjectisſima qvoq; reptilia principium agnoſcunt homogeneum; illorum autem ſemina per multos annos illæſa poſſe ſubſiſtere, lignorum docent teredines & veſtium tineæ, nec minus caſeorum vermiculi, qvorum *Ideæ* tamdiu qvaſi ligantur, usqve dum accedente putrefactione ab incarcerationis liberantur vinculo: cujus modum fuſius deſcribit LAMZWEERDE *l. c. c. 25.* Murium autem & Glirium generationi in Utero muliebri majorem ſubeſſe difficultatem multi credunt, at, qvi mirandam horum novit fœcunditatem, qvâ brevisſimo tempore in tantum excreſcunt numerum, ut integras devaſtare poſſint Provincias, (conf. *Ephem. Medico-Phiſic. Germanic. Decur. II. A. v Obſ. CX.*) facile concludere poteſt, qvod exiguo indigeant adminiculorum ad ſui generationem apparatu, ita ut naturæ curioſi obſervent, qvod & mures recenter nati novam ſæpius in Utero geſtent ſobolem, æqve ac ovum ovo imprægnatur, qvale & nos in Muſeo inter reliqva curioſa naturalia poſſidemus. His præſuppoſitis judicamus, qvod hæcce animalcula in frumento aut farina ſæpius coëuntes, facile inibi effundere poſſint ſemen, cujus *Idealis virtus* multo viſcidior ac in nobilioribus animantibus, diu fæcunda manet usq; dum cum pane commeſto de novo in ventriculo ſeparetur à ſubſtantia farinaceâ, & cum chylo ad ſangvinem, cumqve eô deinceps per vaſa præparantia, aut, ut vult LAMZWEERDE, per vaſcula hiantia, in Uterum deferatur, ubi beneficio caloris à compedibus liberatur, perfectamqve acqvirit evolutionem. Si à ſemine muliebri in Utero putrefacto haberent originem hæcce ani-

 malcula,

mascula, nunqvam generatio eorum in visceribus masculorum fieret, qvod tamen hic *Gryphiswaldiæ* experti sumus, cum anno superiori d. 2. Martii à puero trium annorum Ventris tormina sentiente, adhibito pulvere Anthelmintico vivus Gliris pullus, qvoad omnia membra perfectus, sed nudus adhuc, cum excrementis rejiceretur, qvi integer adhuc in Museo nostro asservatur, & cum per integrum viveret diem, à singulis Dn. Studiosis, qvi Collegium nostrum tum temporis freqventabant Anatomicum, non sine summa admiratione lustrabatur. Puer interim deposito hocce onere adhunc usqꝫ diem optime valet.

§. XXI.

Interim tamen *aberrationi*, ut ante dictum, à suâ perfectione ansam præbere affectus externos & extraordinarios, nemo facile negabit, cum insolita sensus tam internos qvam externos fortius feriant, & juxta effatum DIVI nostri SENIS insveta svetis sint deteriora, fieri posse credimus, qvod per fortuitam & irregularem spirituum agitationem *Idea* rerum subitaneo occursu matri terrorem incutientium cerebro impressa, ad uterum postea transferatur, ac genituræ certas sibiqve similes imprimat notas: Si v. g. sorex, glis & hisce simile qvippiam inopinato corpori mulieris insilit, aut cerasa, fraga, similisqꝫ farinæ fructus, nemine advertente, eidem incidunt, characterem novum fœtus confestim recipit: cum hisce qvadrat exemplum mulieris, cujus mentionem facit LEVIN. LEMNIUS *de Occult. Natur. Miracul. L. I. c. 4.* hæc cum extra legitimum thorum se alteri prostituisset, metuens, ne inopinato subitoqve mariti interventu opprimeretur, exactis novem mensibus infantem enixa est, non Adulteri, cujus furtivo usa erat concubitu; sed absentis Mariti, qvem metuebat, prorsus similem.

§. XXII.

Errat itaqꝫ *Idea* Matris culpa magis qvam Genitoris; hujus enim vis imaginativa in ipso tantummodo valet veneris conflictu, illa vero factis jam induciis, toto formationis tempore *idealiter* peccare atqve *errare* potest: nam qvoties extraordinaria aut fortuito apparentia objecta sensuum externorum movent organa, tali mox speciali motu spirituum animalium tractus, qvi per nervum ad organum istud devehitur, repercussionis modo commovetur, ita ut

ita ut similis exactè motus, atqve in externo organo erat concitatus, & Spiritibus impressus, ad cerebrum usqve ejusqve compagem fibrosam; eo in loco, qvo nervorum ad partes qvasvis allegatorum est principium sive origo, continuetur, ubi mens sive anima rationalis, motus huius specialis occasione & qvasi intuitu, specialem sibi format *Ideam*, sive conceptum repræsentantem exactè objecti externi factam impressionem, ut ingeniosè pro more docet B. DN. ETTMüLLER in *Medic. Theor. & Prax. General. Instruct. P. I. c. 21.* Qvamvis autem *Idea* ejusmodi *mentalis*, sibi relicta, stultescere sit nescia, juxta HELMONT. *Tr. de Concept. fol. 370.* Qvinimò & mentis actiones corpori immediatè non alligentur, neqve ad ejus essentiam, qvatenus corpus est, qvicqvam conferant, altera tamen alteram ad agendum excitat, & in agendo seqvitur, ob qvam cognationem fieri non potest, qvin ex *mentalibus Ideis* fiant *Archeales*, qvæ ut postea consensum mentis non optant, ita nec expectant, suntqve tunc *Monstrorum* feracissimæ, & qvidem hoc, ut diximus, à parte Matris præsertim, cum multo vehementius imaginentur fœminæ qvàm viri, qvod non adeò fortiter phantasmatum furiis ac *Idearum* operationibus valeant resistere, ut verum sit, qvod vulgò dici solet: *Mulieres aut afflictim amare, aut crudeliter odisse, mediocriter non affici.*

§. XXIII.

Qvod cum ita sit, objectum illud, qvod tam altas in mente egit radices, ab *Archeo* Mentis cum corpore vinculo intermedio, defertur cum sangvine, appropriato ejus vehiculo in Uterum, ubi particulas nutritioni embryonis dicatas tam callide disponit atq; torqvet, ut sese conceptæ *Ideæ* accomodent modulo: hinc fieri, inqvit DAVID van der Becke l. c. p. 282. qvod integras sæpè Nationes solo aspectu à se invicem discernere valeamus; Italos nempè à Gallis, hos ab Hispanis, atqve hos ab Hebræis: cum enim singularum nationum prægnantes Mulieres qvotidie non nisi propriæ Gentis viros intueantur, horumq; speciem fortius haustam sibi imaginentur, fœtus enituntur omninò similes. Ita ex conversatione cum pecore REBECCAM peperisse ESAVUM באדרת שער vult DN. M. NICOL. BENED. PASCH. *in Diss. An Esau fuerit Monstrum. §. 13.* qvamvis dissimilem JACOBI

 & ESAVI

& ESAVI formam, diversis uteri partibus non eandem habentis constitutionem, tribuat JOH. MARCUS MARCI A KRONLAND *in Philosoph. vet. restit. P. II. S. IV. p. 130.* Qvidni igitur imago rei auribus vel visu perceptæ insolita, qvam toto sæpius formationis tempore qvasi intuetur, in fœtu postea non appareret? refert enim THOM. BARTHOLINUS *Cent. III. Ep. 40.* de Muliere qvâdam Haffniensi, qvod in Obsidione crebris tormentorum bombis auditis visisqve globulis ignitis, per urbem obsessam volitantibus, territa, similes globulos Infanti impresserit. BALDUIN. RONSÆUS *Lib. de Primord. Homin. c. 10.* narrat, Goudæ in Hollandiâ Mulierem qvandam greges Gallinarum Indicarum videntem, sic fuisse consternatam, ut fœtum postea pepererit, habentem faciem multis excrescentiis carnosis varii coloris ad Galli Indici instar deturpatam. Horrendum dictu est, qvod literis consignatum reliqvit WEINRICH. *de Ort. Monstr. c. 17.* de qvâdam Muliere gravida, qvæ cum Maritum vidisset in pectore lethaliter vulneratum, fœtum postea edidit, qvi pectus apertum, & rimam manifestam habuit, eâ parte, qvâ Maritus erat vulneratus.

§. *XXIV.*

Tam graviter peccare *Ideam* non ipso tantummodo durante formationis tempore, sed & transacto jam eodem observant Doctores: refert enim B. SPERLING. *de format. Homin. in Utero p. 105.* ex CORNEL. GEMMA, gravidam qvandam, cum partus instaret tempus, maritum stricto gladio insecutum, frontiqve ejus plagas ac vulnera minitatum esse, ipsamqve post prolem peperisse, ingens in fronte gerentem vulnus, è qvo sangvis perfluxerit tam abundè, ut sisti neqviverit, usq; dum malitiam parentis morte lueret innocens partus. Historiæ veritatem confirmat exemplum, qvod affert JOH. JAC. WALDSCHMID *in Dissert. de Caus. Part. Monstros. ex Authore Pansoph. Enchiretic. p. 277.* qvod Mulier qvædam fœtum grandiusculum utero gerens, dum semel decapitari qvendam hominem vidisset, valdè territa in deliqvium ceciderit; & enixa sit paulo post infantem, cui caput erat abscissum, ita ut ex utero non exiverit, nec mulier in utero molestiam ullam habuerit, signo certo, qvod caput infantis in matrice non restiterit. Causæ hujus *Portenti* difficultatem fatetur qvidem Author, vi autem

Doctrinæ

Doctrinæ suæ facile id fieri potuisse, addit, nam cum Mulier, inqvit, "Gerens utero in decapitatione facta à Carnifice, forsan summam "habens complacentiam, desiderium (sicut prægnantibus nihil novi, "absurdissima appetere) accepit aliqvid decapitandi, etiam fortè "sui proprii in utero infantis, qvare in tali desiderio, *Ideam* gladii "fabricavit, & tangens uterum qvo loco caput infantis erat, manu "*Ideam* gladialem collo infantis incussit, & caput demessuit, sicuti, "si pirum desiderasset, & piri formam collo apposuisset. qvod "verò caput absciderit, non verò gladii formam expresserit, ratio "est, qvia desiderium erat infantis caput abscindendi: idcirco gla-"dialis *Idea* non solum ad collum, sed per collum transierit. "Qvod verò caput nullibi repertum, id qvoqve Matris phanta-"siæ adscribi potest, qvæ caput à se decollatum infantis nolens "reperiri, nec nosci cujus cadaver esset, caput in Athomos resol-"vit, qvæ cum lochiis mulieris exierunt.

§. XXV.

Nos qvamvis ineffabilem in *Ideis* formandis vim gravidis demere neqveamus, non tamen in assertum hujus Authoris jurare cupimus, rei interim gestæ veritati non contradicentes: similem enim huic accepimus ex relatione *Magnifici* ac *summè Reverendi Dn. Soceri* nostri, de fœmina delicatula Berolinensi, cujus Maritus sociæ svavissimæ amore ductus, familiariter haud rarò cum eadem cavillari ac jocari solebat; contigit autem, qvod ultimo gestationis tempore comprehensæ ex abrupto manus amputationem cum cultello post cœnam simularet, & nescio qvo fato eandem imprudentius vulneraret, qvo perterrita, chyrurgicam qvidem patienter tulit operam misera, at, paulò post infantis eâdem parte mutilati, mæstissima fiebat Mater. similis sortis exempla refert JOH. BAPT. van HELMONT. *Tr. de Inject. Materialib.* sed modum à priori indemonstrabilem lubens agnoscit, cum enim juxta ejus mentem nemo scire possit, qvo pacto impressa seminibus *Idea* figuret, dirigat atqve disponat sua constituta; ideò à posteriori idem venatur: & sane in re tam ardua doctam profiteri ignorantiam (est enim juxta SCALIGERUM *Exercitat. 307. Sect. 29.* erudita inscitia, qvædam ignorare, æqve ac in Theologicis Sapientiæ pars est, qvædam æqvo animo nescire) satius esse puto

qvam

qvam ἄλογα proferre: Interim tamen *Ideale* terroris ſpectrum tyranndidem qvoqve ſuam in partum, non tantummodo membra miſerè diſtorqvendo, ſed & penitus eadem aboliendo, exercere, ex funeſto judicamus effectu.

§. *XXVI.*

Si conjecturæ locus eſt concedendus, *Archeo* corpora in ſe abſorbenti, ut fiant qvaſi Spirit9, hoc imputandum cum HELMONTIO, diceremus, exemplo aqvæ fortis qvæ ſuo Spiritu æs, ferrum vel argentum manantia in ſui natura opaca facit ita transparentia, ut videri neqveant, & per chartam emporeticam, qvæ alias ne tenuiſſimum pulverem transmittit, Metallum adhuc in ſpecie Metalli eſſentialiter manens, traducit, non, addit, qvod ſimilitudo penetrationis dimenſionum cum propoſito metalli exemplo uniformiter qvadret. "DEUSINGIUS ingenioſè putat, qvod mutata partis formatæ "diſpoſitione per vires imaginationis, mediantibus ſpiritibus ac "humoribus ſenſim deinceps ſpirituum ac ſangvinis in eam partem "influxu, pars ipſa reſolvatur, & diſſolubilis reddatur, ut continuo "ſangvinis ac ſpirituum impetu eadem imaginatione Matris pro-"tracta, ſenſim diſſipetur ac reſolvatur, ſuſceptis continuo Atomis "diſſolutis in venas ipſas, iisdemq; refluo ſangvini permixtis, aut "partim cum aliis corporibus difflatis. Hoc autem eô ſaltim in caſu, ubi poſt conceptam Matris *Ideam* amplius commorandi in Utero tempus fœtui conceditur, locum habere poſſe, non autem ſi brevi poſt, & citò partium in fœtu fit privatio, & annihilatio, cum mutatio talis moram reqvirat, rectè judicat JOH. CHRISTIAN. FROMMANN *de Faſcinat. Magic. L. III. P. X. S. II. c. 5. §. 85. p. 1042.*

§. *XXVII.*

Qvocunq; autem *Archeus* in fabricandis *Ideis* exoticis rapiatur furore, haud rarò tamen maternæ manus directioni præſtat obſeqvium, ita ut conceptus characteriſmus certo alicui applicetur membro, ut huic non alteri fiat proprius, cujus aſſerti infinita poſſemus afferre exempla, niſi cuivis eſſent obvia; unicum tamen, idqve domeſticum, qvod B. Matri noſtræ obtigit, referam: hæc utero gerens per feneſtram vidit vetulam delirantem, diſſolutaqve canitie per plateas errantem, cujus facie horrenda, perterrita re-

troce-

trocedebat Mater, & nescio qvo fato caput fricabat digito; exacto gestationis tempore puellum felicissimo edidit partu, cujus capillus eâ parte, qvam fricaverat digito Genitrix, canitiem Vetulæ exactè repræsentabat: qvemadmodum enim manus plurimarum actionum externarum est instrumentum, & voluntatis executivum medium, ut ingeniosè docet *Excell: Dn. D.* GERDESIUS, *l. c. c. 4. §. 13.* ita solicitudo, descendens ad manum, qvasi ad defensionem sui fœtus, conceptam *Ideam* recipit, pergitqve ulterius in fœtum, vid. HELMONT. *Tr. de Ideis Morbos.* Qvando autem sibi relinqvitur *Archeus*, conceptam *Ideam* tamdiu fluctuabundè movet, usqꝫ dum commodum expressioni elegerit locum, qvanqvam & interdum in hocce qvoqꝫ erret executionis puncto: ut qvod sinistro v. g. imprimere debuisset lateri, dexterum recipiat; narravit enim nobis hujus asserti exemplum nuper amicus, qvo familiariter satis utimur, de qvâdam suarum agnatarum, qvæ ultimo itidem gestationis tempore, ictui mariti qvo petulantiam cujusdam filiorum suorum coërcere volebat, ex improviso occurrendo, brachio sinistro eundem excepit, cujus stigma filia mox prognata, & felici adhuc in thoro degens, ad hoc usqꝫ tempus in brachio adversi lateris gestat.

§. XXVIII.

Non minus rei avidius desideratæ *Ideam* graviter in fœtus formatione errare, infinita passim docent exempla, inter qvæ memoratu dignum est, qvod habet MARCUS MARCI A KRONLAND de fœminâ gravidâ insigni desiderio agrestis pomi affecta, cujus autem ut noxii commestio cum à Marito assidente interdiceretur, in mœrorem incidit insignem, ut à continuâ & forti pomi desiderati meditatione sibi nec temperare, nec ab aliis selectissima etiam poma offerentibus, revocari posset. Hæc demum enixa fœtum est, è cujus malâ pendebat pomum, propriò adhærens petiolo, cum crescente fœtu incrementum sumens, figurâ & colore pomum exactè referens: si autem phantasia prægnantis desiderio insatiabili excitata, adeò errare potest, ut vel res inanimatas ac vegetabilia repræsentantes *Ideas* possit conceptui humano imprimere, qvidni *Seminalem Ideam* in iis qvæ ipsi magis sunt analoga (ut sunt Regni Animalis species diversæ) errare cogeret? refert DAVID

van

"van der Becke *l. c. p. 290.* ex eodem MARCO MARCI de Mer-
"cenariâ qvâdam Muliere gravidâ, qvæ Mensæ accumbens, avi-
"dius comedebat de capite carpionis piscis; accedens coqva, qvod
"hanc partem sibi destinârat, graviter increpat fœminam, ut pu-
"dore suffusa in patinam rejiceret, ambesum piscem: & qvamvis
"ab adstantibus, fœminam Utero gerere cogitantibus, ad caput car-
"pionis comedendum, postea invitaretur, pudor tamen dolorisq;
"acerbitas ipsam de mensa surgere fecerunt, surrexit ergò incœ-
"nata, continuas lacrymas fundens, cubitoq; capiti admoto (uti
"mœsti solent) nil nisi piscem illum meditabatur, infelicissimo
"certè eventu; peperit namq; infantem, cujus caput non prorsus
"humanum, sed ex dimidio piscem referebat, illâ parte, qvæ
"cubito matre innitente fuerat compressa, ita ut ipsum qvoqve
"Os in duo semiora, inq; partes humano ori; & qvale carpionum
"est, assimiles divideretur: qvinimò & color cyaneus, & sqva-
"marum similitudo eidem inessent. Hocce malum Mulieribus Belgicæ Nationis præprimis esse familiare, asserit LEVIN. LEMNIUS *l. c. c. 5.* Hujus farinæ plura exempla habent THOMAS FIENUS *Tr. de Virib. Imaginat.* JOH. BAPT. PORT. *Mag. Natural. L. II. c. 19.* CASP. EBELIUS, *Tr. Physic. de Virib. Imaginat. Sect. 4. th. 1. p. 45. seqq.* PHILIPP. CAMERARIUS. *Hor. subcisiv. Cent. I. c. 54.* LIBAV. *P. II. Singul. p. 151.* JONSTON. *Admirand. Homin. c. 7. A. 1. & 2.* SCHENCK. *Observ. rar. L. IV. Obs. 129.* JOH. PETR. ALBRECHT *in Ephem. Physico-Medic. Germ. A. VI. Obs. XIV.* D. JOH. LAURENT. FEHR *Obs. XXX.* JOH. BURGIUS *Obs. LVIII.* D. FRIDERIC. WILHELM. CLAUDERUS *Obs. CXC.* JOH. BAPT. van HELMONT. *Tr. de Ideis Morb. &c. &c.*

§. XXIX.

Pari modo & Matris gestantis fastidium rei declinatæ characteres atq; *Ideam* ope Archei inurit, idqve partim *apertè*, unde cum PARÆO & BELLANGERIO putat LICETUS *l. c. c. 84.* MAGDALENAM SORBUCATAM febre divexatam, mulierculæ consilio rana viva manus palmæ affixa tamdiu detinenda, usqve dum immoreretur parti, eoqve habitu viri amplexus exercentem, atqve inde concipientem, suo tempore peperisse puerum,

facie

facie ranali: partim *tectè*, ut *Idea* rei Matris appetitui contrariæ degeneret in nævum animi, cujus exempla passim habent naturæ curiosi in Ephemeridib. ut & SCHOTTUS *Physic. Curios. L. III. c. 27.* Ne dicam, qvod nec in somno ab opere desistat *Idearum* furia, dum dormienti formosæ objecta mulieris Imago tentigo non tantum excitatur, transmisso ad penem multo spiritu genitore, ut loqvitur RIOLANUS *l. c. c. 3.* sed & fœminæ rei in somno visæ *Ideam*, de qvâ vigilantes nunqvam cogitarunt, in fœtu deinceps expressam deplorant.

§. XXX.

Relativam ejusmodi Sympathiam hæmathosi Matris tribuunt illi, qvi propriam fœtui sangvificationem, nescio qvo jure, denegant; at si præter institutum ac modum fusius antea jam demonstratum; materiæ aliqva deferenda esset functio, Chylosæ potius portioni, *Ideæ* conceptæ modulo sese accommodanti, eandem committeremus, cum eadem qvæ format virtus in Utero sit & qvæ nutrit, ita ut nutritio sit etiam generatio qvædam & *Ideæ* explicatio, docente DAVIDE van der Becke *l. c. p. 219.* Si itaqꝫ semen juxta probatissimorum Anatomicorum assertum est portio sangvinis chylosa, qvemadmodum Dominis Auditoribus nostris notum est ex *Prælect. nostr. de Format. Fœt. in Uter. c. 3.* seqvitur, qvod eidem qvoqve *Idea* hominis insit, qvæ tam variè alterata à perfectione suâ aberrat: qvis itaqve relativam hancce sympathiam substantiæ, qvæ & Infantem extra uterum nutrit, non tribueret? præsertim cum qvotidiè observemus, qvod *Idea* terroris qvô corripitur nutrix, mediante Lacte ut portione chylosa, transferatur in infantem motibus convulsivis tyrannidem motricis funesto exemplo declarantem.

§. XXXI.

Qvantacunqve autem demum *Idearum* conceptarum vis sit, nunqvam tamen persvaderi nos patiemur, qvasi solâ earum virtute absqve decenti complexione virili concipere possit Mulier, ut vult VALLESIUS *Controvers. Medic. & Philosophic. c. 7.* Qvamvis fœmellas solummodo, easqve maximè debiles, addat, qvasi seqvior sexus esset, & à societate humana excludendus: nam cum in utroqꝫ semine integra hominis contineatur *Idea*; qvarum altera

 alterius

alterius sæpe corrigit defectus, neutrum sibi soli ad generationem sufficere potest; unde haud immeritò falsam pronunciamus sententiam latam A. M DC XXXVII. à PARLAMENTO GRATIONAPOLITANO in favorem MAGDALENÆ AIGUEMERIANÆ, ne familiæ illi illustri ignominiæ macula inureretur, dum qvarto post Mariti HIERON. AUGUST. DE MONTLEON (qvi cum Cardinale VALETTO in Alsatia abfuerat, ibidemqve obierat) absentiam Anno natum, legitimum paternorum bonorum hæredem constituit, ab imperitis enim Medicis & Obstetricibus persvasum erat, filium sola imaginationis vi fuisse conceptum; cujus fidem suspectam reddidit D. DE LORD. *Medic. Profess. Monsp.* rogatus à Nobili de MONTRABBE Præside Parlamenti Grationapolitani, qvia, ait, Mulier sine virili semine concipere non potest, omnium Medicorum consensu, nam sexuum discrimen foret supervacaneum, si Mulier sola sufficeret ad Generationem; qvinimò & Sorbona sententiam hanc reformavit, causata eandem non tantum palliandis qvibusdam impuris amplexibus posse conducere, sed & in ignominiam sanctissimæ conceptionis Christi cessuram, vid. ERASM. FRANCISC. Lust-Schaub. *P. II. Sect. VI. p. 1213. seqq.* LAMZWEERD. *l. c. c. 20.* DEUSING. *Histor. fœt. extra Uter. Genit Sect. II. §. 35.* DAVID van der Becke *l. c. p. 289. in not.* THOM. BARTHOLIN. *Hist. Rar. n. 61. Cent. VI.* PAUL. ZACCH. *Qv. M. L. L. III. Tit. I. Qv. 8.* JOH. CHRISTOPH. BECMANN. *Doctr. Moral c. 2. §. 6. &c. &c.* Non temerè hinc qvoqve deridet AVERRHOIS assertum, qvod ætatis floridæ fœminam ex balneo, cui semen infusum virile, concepisse affirmat SIMBALDUS *L. I. c. 14. Geneanthr.* Conf. LAMZWEERDE *l. c. c. 21.* PAUL. ZACCH. *Consil XLII.* Ova autem fœminea perfectum semen continentia stimulo qvodam libidinis ad Uterum delabi, citra congressum cum Mare, & intumescere qvoq; fœtum autem fieri nullum, sed tum ut in Gallinis in ova subventanea, in fœminis in molas abire, cum expertissimis Hysterotomicis lubenter credimus.

§. XXXII.

Qvemadmodum autem illi in excessu peccant, sic nescio qvâ fretus ratione firmâ, à Physicorum assertis, ratione pariter ac experientia jam comprobatis, deficiat PAUL. ZACCHIAS *l. c. L. VII.*

Tit. I. Qv. 2. fol. 576. seq. asserens imaginationem omninò à numero causarum Monstrificarum esse eliminandam, cum enim, in-
"qvit, varia sint Monstrorum genera, & *Monstrum* sit, qvid præ-
"ter Naturam & per accidens ita genitum, non possunt omnia ad
"unam eandemqve causam reduci, sed necesse est, unum qvodq;
"genus habere suam adæqvatam & proportionatam causam: &
"licet plerumq; *Monstra* talia generentur ex parte seminum, tamen
"ipsa semina non semper eodem modo sunt disposita. Defectus
"ergo & superabundantia membrorum in *Monstris*, non aliam potest
"habere causam, qvam defectum aut superabundantiam seminum.
"Tortuositas monstrosa à Mulieris inconcinno decubitu, aut ab
"inconcinnitate in actu ipso coitus dependentiam habet. Men-
"brorum mutatus situs ex seminum & Cyematis ipsius, vel efflu-
"xionis trepidatione, & concussione originem ducet. Figura in
"maximè extraneas figuras degenerans, seminum sangvinisq; alen-
"tis vitium insigne denotabit. Degeneratio in alteram speciem,
"miscellam diversorum speciei seminum commonstrabit. Maculas
"qvasdam, si libet, ad imaginationem refer, ego ad sangvinis
"vitium referrem, & sic de singulis cogitandum, Qvinimò ruere putat Axioma illud omni veritate verius, qvod *omne generans generet sibi simile*: qvoniam imaginatio mille phantasmatis de momento ad momentum occupatur *l. c. L. I. Tit. 5. Qv. 2. f. 140.* cumqve juxta FRRNEL. *L. I. Physiol. c. 3.* facultates omnes ac singulæ in animali & in homine maximè sint ad certam operationem, & non ad expellendum aut assimilandum &c. Imaginationem ut facultatem animalem non posse concurrere in operationibus formatricis, qvæ est facultas naturalis, cum qvâ nullam haberet convenientiam &c. &c. qvis enim vellet omnes ejus examinare rationes, pro dethronandis Imaginationis viribus, qvas habet *l. c. Consil. XXII. LXI.* & passim alibi.

§. XXXIII.

Difficilem, fateor, assensum meretur, qvod merum Ens rationis fiat ens Spirituale seminale, potensq; ad perpetrandum res magni momenti, virtute sigillifera *Ideas* non tantummodo formans, sed & in Spiritu vitali characterizans, ut fusius docet JOH. BAPT. van HELMONT. *Tr. de Ideis Morbos.* cum tamen modum supra

 jam

jam satis inculcaverimus, non qvidem pro argumenti sublimitate, sed pro spatii ac temporis ratione, actum non agimus, nec novis argumentis contra manes tanti viri insurgimus; multò minus *monstrorum* adornare catalogum, aut omnes vel vulgo saltim notas examinare causas, instituimus, cum ante nos feliciori cum successu id fecerint; FORTUN. LICETUS; MARTIN. WEINRICH. JOH. GEORG. SCHENCK. ULYSSES ALDROVANDUS, JOH. JAC. WALDSCHMID. JOH. RIOLAN. THOM. BARTHOLIN. CASP. SCHOTT. & alii non levioris notæ viri; sed qvid *Idea* valeat *in Monstrum generatione*, brevibus qvantum fieri potuit, juxta Neotericorum mentem demonstrare animus fuit: si enim singula notatu digna huic materiæ jungere voluissemus, in volumen excrevisset schediasma Academicum: & si dicendum cur *Ideæ errantis* titulo usi simus, ad imitationem *Eccell.* Dn. D. GERDESII elegantem Dissertationem de IDEA ERRANTE ac FURIBUNDA in HYDROPHOBIA *conspicua* ROSTOCHII *Respondente* Dn. HENRIC. ANHALD. publico Eruditorum examini, omnium cum applausu exponentis, hoc factum esse, ingenuè fatemur: cujus Authoritate & electione qvoqve ante aliqvot annos de *IDEA ERRANTE* in *ECSTASI* sive *ENTHUSIASMO conspicua* Disputationis nostræ inauguralis inscriptio erat, occasionem suppeditante JOH. BAPT. van HELMONT. *Tr. Demens Idea*; hujus enim furorem nusqvam magis conspicimus efficacem, qvam in *Monstrorum* Generatione.

§. *XXXIV.*

Qvoniam autem sententia nostra circa arduam hancce materiam ab occultæ qvalitatis ergastulo, ignorantiæ veterum asylo, vi rationis sanæ liberatam; distracta paululum fortassis videri posset, qvod Auctores qvosdam allegaverimus, qvorum rationes partim fuimus secuti, partim verò illa, qvantum fieri potuit, modestia, declinavimus, mentem nostram breviter ac succinctè jam exprimere constituimus.

§. *XXXV.*

Dicimus proinde, qvod omnis generatio in œconomia animali præsupponat decentem utriusqve sexus copulam carnalem, mediante qvâ materia seminalis, certa subjecti *Imagine* impræ-

gnata,

gnata, in uterum, formationis futuræ receptaculum, infunditur, ita ut non totum illud qvantum, sed particula illa spiritali aura *ideificata*, muliebre corpus perreptet, ac postmodum in ovarium, conceptionis officinam deferatur; ubi sese utriusq; *Ideæ* invicem evolvunt, ut exinde necessariò exsurgat tertium, Genitoribus qvoad minima qvoqve simile.

§. XXXVI.

Hæc *Idea* ratione sedis, *seminalis* vocatur, cui ut subjecto qvasi inhæret, eidemq; ita propria est, ut Taurus nunqvam generet Asinum, nec homo Leonem, sed fœtum Genitoribus suis tam exactè similem, ut non corporis tantum, sed & animi sæpius nævos vel minimos exprimat, nisi eadem ab aliâ aliqvâ *Ideâ* ab extra adventante, qvam *objectivam* vocamus, depravetur: & hæc est, partim *mentalis*, qvæ alienas sibi fingere potest *Ideas*, partim verò *archealis*, qvæ ex *Ideis* rerum insolitarum sensibus sese repræsentantibus externis formatur, ac vocari solet *Idearum* mentalium portitor, cum *Ideas* à mente conceptas deportet ad Uterum, ibidemq; *Ideam seminalem* ad sui similitudinem disponat: hocq; *Idearum* trifolium in *Monstrorum* Generatione concurrit, ita ut *Mentalis*, ac *Archealis*, moraliter & remotè, sive mediatè *seminalis* verò physicè & propriè sive immediatè *errent* atqve peccent.

§. XXXVII.

In humano semine cum sint perfectæ omnium illarum partium *Ideæ*, qvas postea in homine producto observamus, ita ut si docente JOH. MARCO MARCI, liceret nobis corporis æqvè ac mentis oculis idem inspicere, videremus certè in illo sensibiles satis signaturas, radicales *Ideas* & essentiales adumbratas, sive integram humani corporis *Ideam*, adeò ut ex hoccè semine corpus organicum hominis, originali, ut ita dicam, qvoad minima simile, exsurgeret, ac per conseqvens Parens claudus aut monoculus simile sui, aut semper masculos generaret, nisi & in ovariis uxoris latitaret itidem ejusdem originis ac conditionis *Idea*, qvoad vehiculum tamen differens, qvarum altera alteram evolvendo, defectus sensibiles sæpius corrigit, aut occultat, usq; dum levi accedente occasione, *Idealis* nævus sese manifestat, ut nonnullis exemplis docet *Excell.* Dn. D. GERDES. *l. c. c. 4. §. 8.*

§. XXXVIII. Præ-

§. XXXVIII.

Prægnantium *Idea* qvamvis ipsa cœli impressione fortior sit, ut vult MARCUS MARCI *Phil. Vet. restit. S. IV.* & in *Pica*, affectu gravidis familiari, infinitis erret modis (cujus inauditum habet exemplum CHRISTIAN. FRANCISC. PAULIN. *in Observ.* "*Medic-Physic. N. 20.* qvi vidisse se affirmat *Harsfordii* ad Mœnum "in Diœces. *Herbipolensi*, Rusticam qvandam mulierem gravidam; "qvæ maritum ad nundinas anniversarias comitans, de vario suo "appetitu mira referebat. Qvorum colonus pertæsus, dixit fortè: "Ey Aenle / friß einen Dreck. Paulò post hic solutis braccis cu-"mulum in gramine fumantem fecit, & discessit. Mulier idem "simulans, sordidissimas viri feces adhuc calidas (de exsiccatis enim "exemplum habet BORELL. *C. IV. Obs. 2.*) summo cum delecta-"mento ingerit, virumqꝫ inseqvitur. Qvi tandem retrospiciens, odoremqꝫ plane stercoreum admirans, reliqvias jentaculi adhuc "aliqvas in facie conjugis deprehendit, dicens: Aenle / was ist das? "fatetur: increpat ille fœtidum appetitum. Placatus demum à "Muliere conticuit.) Non tamen in omnibus subjectis *Idealis* furia æqve altas agit radices; si enim qvælibet harum capax esset *Ideam* reformandi *seminalem*, qvot, qvæso, *Monstra* qvotidiè non fierent?

§. XXXIX.

Vitent interim, Auctor essem, delicatulæ, horribiles rerum aspectus, aut si qvid horum ex improviso acciderit, non statim, ex causa supra allatâ, qvovis se signent loco; vertant, potius oculorum aciem in ea qvæ pulchritudine ac venusta sese commendant forma, qvo conceptam exinde *Ideam*, tanqvam sigillum qvoddam, fœtui, qvem fovent in utero, non frustraneo imprimant eventu. si autem *Ideæ* vim in gravidâ sentit Medicus rationalis, *Ideam Ideâ* suffocet, ut notatu digno docet exemplo DAVID van der Becke "*l. c. p. 482.* de Muliere qvâdam prægnante, qvæ Æthiopem inopi-"nato videbat accedentem, & exhorrescebat tam inexspectato ac-"cessu, ut animi ferè deliqvium pateretur. Ex adstantibus unus, "qvod insignem imaginationis vim probè perspectam haberet, "prudenter metuebat, ne fœtus aliqvando edendus, nigra cute ve-"stitus prodiret: Auctor itaqꝫ erat adstantibus, ut lavarent fœmi-"nam totam, si fortè impressa fœtui *Idea* superveniente aliâ, deleri pos-

"set.

"set. Lavatur fœmina, securaq; redditur, nullum jam post loti-
"onem nigrorem, in fœtu observatum iri. Peracto gestationis
"tempore, fœtum enixa est candidum qvidem, ast nihilominus
"aliqvot in locis, impressi sibi nigroris vestigia ostendentem.
"Observabantur enim omnium adhuc loca nigredine imbuta, qvo
" diligens lavantis manus non pertigerat; interstitia nempè digi-
"torum, manuum æqve ac pedum, inguinis, ac præter hæc unus
"in dorso locus, cæteræ partes omnes, omni nævo liberæ vide-
"bantur &c. Qvæ insuper ex triplici Hygieæ fonte solatio esse possunt pauperculis, ingeniosè satis suppeditat *Excell.* Dn. D. GERDES. *l. c. Sect. II. Pract.*

§. XL.

Cum autem in hominibus deprehendatur cogitationum velocitas, animi celeritas, ingeniiqve varietas, hinc *Idearum* oritur multitudo ac differentia, ut proinde plura in genere hocce fiant *Monstra*, qvæ non adeò freqventer generant bruta animantia, cum illa Veneris tantummodo operi sint intenta, nec alio phantasiam transferant: interim tamen *Ideas* objectivas organa sensorii ferientes, eorum deportat *Archeus* in ovaria, in qvibus *Idea seminalis* evolutionem expectat, sed turbata, hospitis figuram induit, qvemadmodum non tantum Oves LABANIS sub manuductione JACOBI *Gen. XXX.* sed & alia infinita ferè docent exempla; inter qvæ notatu dignum est, qvod habet D. ANDR. CLEYER. *in Ephemerid. Medic-Physic. German. Decur. 2. A. I. MDCLXXII. Observ. 16.* de Ovo Gallinaceo cum serpentis imagine in testâ; cui, *tantus*, addit, *naturæ lusus etiam in reconditis animalium partibus, nempè uteris, ex subita animi perturbatione qvandoq; imprimitur, qvod forsan Gallinæ nostræ ovum hoc Ophiöides parturienti accidit, cum ei serpens aliqvis improviso & subito obviam prosilierit: unde perturbata gallinæ imaginatio serpentis IDEAM, ovo ex suo ovario jam elabenti, attulerit, eidemq; talem formam impresserit.* Ne dicam qvod passim hodie haud rarò oves aut vituli nascantur turritis capitibus, fœminarum nostrarum ornatum, qvem *fantangen* vocant, repræsentantibus, qvas *Monstrosas* capitum *formas* ornamentorum fœmineorum vitia & pravitates monstrare sacris initiati persvadere connituntur, sed mihi nunqvam, scribit JAC. BIRCHERODIUS ad TH. BARTHOLIN.

Centur. 3. Ep. LXXV. qvi, cum mille modorum à primis mundi cunabulis usitatorum species cogitem, nec cur una DEO sit alia invisior, dispiciam, imaginationi hæc aliaqve ejus generis delicta tribuo.

§. XLI.

In *Minerali Regno* qvoq; haud rarò instituto suo cadit natura, cum lapidibus atqve gemmis non *monstrosas* tantummodo *formas*, sed & plantas, arbores, prata, sylvas, & regiones iisdem imprimit, qvæ egregio sese sistunt spectaculo, v. g. *Lapides Florentini*, qvales in Museo asservamus, integra Palatia, qvin & Urbes superbissimas ostendunt. Qvatuor lapidum genera in qvibus plantarum & arborum icones, frugumqve imagines à natura mirè depictæ conspiciumtur, recenset CASPAR. SCHOTTUS *in Physic. Curios. L. XII. c. 11. p. 1360.* & MATTH. TILINGIUS *Ephem. Medico-Physic. German. A. 2. Observ. LXVI.* qvæ omnia P. ATHANASIUS KIRCHERUS olim in IMPERATI Museo celeberrimo vidit, & examinavit. vid. *Mund. Subterr. L. VIII. S. I. c. 9. p. 39. 40.* "Causam tribuit Pulveribus stirpium ac Plantarum in terra lapi-"descente existentium, qvibus una cum calore exiguo qvid sper-"maticum adhuc inesse dicit, qvod in lapide adhuc molli materiam "nactum utcunqve aptam ad plantam producendam, cum plantæ "substantiam integtam ex materiâ constituere non possit, præstare "id, qvod potest, h. e. solas in materia arborum herbarumqve ima-"gines plastica facultate, qvæ seminali virtute adhuc aliqvo modo "inexistit, distingvere, adeoqve Naturam h. m. cum plantam inte-"gram producere neqveat, producere id, qvod potest, figuras nimi-"rum plantarum. Conf. SCHOTT. *l. c.* An qvadret hic modus, examinare supersedemus, cur verò ejusmodi vegetabilis *IDEA* rerum formosarum, marmori Florentino adeò familiaris sit? in peculiari Schediasmate de *Ideis Ideas suffocantibus* propediem fortassis, bono cum DEO, fusius demonstrabimus.

§. XLII.

Qvamvis autem multa sint in rerum natura, qvæ captum nostrum transcendunt, non tamen statim contra naturam eadem contingere, adeò temerè asserendum, cum Auctor Naturæ DEUS T. O. M. eandem variè nonnunqvam ludere permittat: qvod

etiam

etiam, qvamvis rarius, accidit qvoq; in vegetabilibus, utpote, qvæ ſimpliciorem ſortita ſunt naturam, rudioraqve corporum inſtrumenta, ac per conſeqvens *Ideæ ſeminali* peccandi anſam facile adimunt: facilius enim eſt, docente LICETO *l. c. L. I. c. 5.* errare in pangendis operibus variarum partium magno artificio invicem connexarum, uti ſunt, animalium membra, paucas autem plantarum partes rectè componere, non ita eſt difficile: accidit tamen, ut diximus, nonnunqvam, in pyro v. g. monſtroſo Anno 1644. circa finem Junii Stuttgardiæ in horto Aulico notabilis magnitudinis, facie humana inſignito, cujus mentionem facit D. EBERHARD. GOCKELIUS *in Ephem. Medico-Phyſic. German. A. 6. Obſ. CXXVII.* Plura hujus rei exempla habet CASP. SCHOTT. *l. c. p. 1362.* Talem Naturæ luſum, ex ſingulari DEI permisſione ante aliqvot annos in Svecia noſtra Orthodoxa qvoq; contigiſſe notum eſt, cum venerandum CLEMENTISSIMI noſtri REGIS nomen ℞. diſtinctè ſatis ex ſtirpe qvâdam progerminaret, certiſſimo indicio, *Ideam* cultus, qvo qvilibet erga REGIAM ſuam MAJESTATEM ardet, rebus qvoqve inanimatis eſſe implantatam, ut in laudes ac pia qvaſi ſolvantur vota. Ultra natale ſolum eadem *Idea* omnium ſubditorum occupavit animos, nullo *Idearum* robore ſuffocanda. Statuam CLEMENTIÆ, SAPIENTIÆ & PIETATIS perennem ipſi erigit noſter HELICON, & VIVAT, VIGEAT, FLOREAT voti noſtri ſumma erit, ac Orationis devotisſimæ

FINIS.

TE pietas ornat, Te grata Modeſtia gratum
Efficit, & doctum docta Lycea probant.
Macte iſthoc ſtudio: perge, & Te deniqve merces
Optima pro meritis hiſce manebit honor.

Ita Per-Eximio Dn. Reſpondenti, Amico & Domeſtico ſvavisſimo, congratulari & fauſtisſima qvævis apprecari voluit

NICOLAUS DASSOVIUS, SS. Th. D.
Prof. Ordin. Regii Conſiſtorii Aſſeſſor, & ad D. Mariæ Paſtor.

Naturæ

NAturæ lapſus ſi qvis monſtrare valebit,
Conſcius ille DEI, conſcius artis erit:
His etenim natura ſubeſt, parere parata
Ingenio cuncto, qvod meliora parit.

Laudato Clari Reſpondentis conatui certisſimum fructum bene ominatus monſtrare voluit

PRÆSES.

QVum *monſtri nihil* intus *alas* †, cur *monſtra* revelas,
HEISI, qvæ rerum non amat ipſa parens?
Nempe potes cauſſas aliis aperire latentis
Naturæ. Mentis laus ea multa tuæ.

† Vid. DES. ERASMI ROTERODAMI *Adagiorum Chiliades Chil. II. Centur. IV. fol. 485.*

Honori *Doctisſ. DN. HEISII, Amici candidisſimi,* *αὐτοσχεδιάστὶ* facieb.

M. CHRISTIANUS Saalbach/
Poëtic. ac Orator. Prof. Ordinar.

IPſa ſuo natura gemens errore fatetur,
Qvam ſit perfecti nil habuiſſe datum.
HEISIUS è *monſtris* divam delinqvere diſcit,
Vertit & ad JOVAM ſe ſtudiumqve ſuum:
Naturæ tentans apicem libare ſubinde,
HEINSIUS, ingenio nominis, eſſe poteſt.

Auditori percharo εὐφημίας χ. f.

M. BENJAMIN Pozerne/ P.P.
Facult. Philoſoph. h. t. DECANUS.

VEritatem plerumqve intercipit
ſive *idea* ſive *opinio* errans.
Ipſa in partes diſcedente *Natura* atqve *Arte*,
qvis utrinqve miretur *monſtra* progenerari
hominum pariter & *ſententiarum*?
Te verò felicem, amiciſſime HEISI, cui & erroris ratio conſtat,
& de idea errante idea non errat!

Libera verba, adſtrictâ mente ſcrib.

M. JO. PHIL. PALTHENIUS, P.P.